



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. VIII. De injusto.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

54 GULIELMI SCRIBONII  
fit ejusque ubique vis & facultas, ut quod tibi  
non vis fieri, alteri ne feceris.

*Annon igitur mutabilia sunt jura natura?*

Rarissime inveniuntur causae ob quas mu-  
tentur. Quae Deum respiciunt, simpliciter sunt  
immutabilia, ut leges Decalogi. Quae vero ho-  
mines concernunt, interdum mutari possunt.  
Nimirum si duae leges concurrant, inferior ce-  
dit superiori.

*Quomodo hoc intelligendum?*

Natura jubet, ut depositum reddamus: at si  
furiosus gladium reposcat, quem apud te sana-  
mentis deposuit, inique feceris, si ei restituas.  
Lex enim superior valebit, quae est, Neminem  
laedito.

*Quid est legitimum vel positivum jus?*

Quod tum primum valet cum est consti-  
tutum, nec ullam vim antea obtinuit.

*Estne hoc mutabile?*

Potest mutari pro cuiusq; loci temporisq;  
diversitate, non minus quam mensura & pon-  
dus.

#### CAP. VIII.

##### De injusto.

*Justitiae natura ex dissentaneis plene cognoscitur.*

*Quis igitur injustus? & quid injustitia?*

Injustus est qui voluntate sua alteri facit in-  
juriam.

*Quot modis aliquis facit injuriam?*

Tribus. Primo, si quis admittat aliquid im-  
prudens

prudens contra eum, de quo nihil tale cogitatur, nec quo instrumento, nec qua de causa ageret. Et hoc genus injuriarum dicitur infortunium. Deinde, si quis non inconsulto quidem, sed tamen nec de industria aliquid facit. Et hoc genus dicitur delictum, non iniustitia. Aut si & consulto & cogitato fit injuria, & tum merito aliquis iniustus habetur, quæ injuria dicitur.

*Cur autem qui ex ira aut alio affectu nocent, non sunt iniusti dicendi?*

Quod ipsi non videantur auctores mali, verum ipse potius, a quo sunt incitati. Spectandum enim & hoc, utrum jure an injuria iratus nocuerit.

*Estne iudex etiam iniustus habendus, qui inaequaliter distribuit, aut iniquum iudicium interposuit?*

Si imprudens & ignarus hoc tulerit, crimen illud licet ei effugere: si vero sciens, vel ob gratiam, vel vindictæ cupiditatem iniustus appellandus.

## CAP. IX.

Deiis qui injuriam patiuntur.

*Fierine potest, ut quis sciens injuriam & volens patiatur?*

Nequaquam. Nemo enim videtur alteri nocere, nisi contra ejus voluntatem. Deinde nemo volens cruciatur: Qui autem injuriâ patitur, cruciatur: Ergo nemo volens injuria afficitur.